

M. JOH. BOHEMI Poët. Cæf.  
in Electorali Dresda Rectoris  
**HOMERIANI**  
**OPERIS**

*totius*  
**ANALYSIS DICHOTOMICA**  
**Generalis.**

---

DRESDÆ,  
Charactere Seyffertiano,  
ANNO MDCCCLII.

*A. H. 24.*

*a. XII. 31.*

Coll. diss. A  
12, 31

M. JON. BOHEMI POET. CAEL.  
in Electorali Dresda Regnis  
HOMERIANI  
OPUS

ANALYSIS DICHOTOMICA



DRESDEN

Charaktere Schiffrino

ANNO MDCCCLII

*[Handwritten scribble]*

VIRO

*Nobili ac Amplissimo*

Pietate, virtute, eruditione, humanitate præcellenti,

**DN. GABRIEL BOIGT**

Sereniss. Principi ac Domino Dn. Joh. Georgio

Duci Saxon, &c. à Secretis Sanctio-  
ribus,

*Domino, Patrono, Fautori ac Amico Veteri &  
certissimo,*

**De Natalitia festivitate ex**

**animo gratulatur, & hanc Dichotomicam HO-**

**MERI** Analysin pro sponsoriâ gratæ mentis

debitiq; semper studii arrhâ

**Offert, consecratq;**

**M. JOH. BOHEMUS.**



Uspicatisimi NATALIS tui, *Vir Amplissime,*  
celebritatem cœlesti indultu hodie iterum  
feliciter illuxisse, Musæ nostræ, supra quod  
dici potest, gaudent, meritorumq; in nos  
planè eximiorum axiomaticè percussæ T. Di-  
gnitati adsurgunt lætabundæ, & amplissimè congratu-  
latæ, uberes à supremo Numine precantur annos, inq;  
hanc eandem Festivitatem recursus numerosos! Quum  
enim Tuam in nos Gratiam factis æquiparare nequeant,  
minimeq; pares sint solvendo, cœlestibus vicem suam  
delegant Virtutibus, piâ præstantes religione, quod ipsis  
officiis denegatur. Et ne planè vacuæ compareant,

A 2

utq;

utq; intimi adfectus ac amicitia ad Posteror publicum  
relinquant documentum, hunc Poëtarum Græcorum  
Principis HOMERI PINACA in præsens offerunt vene-  
rabundæ. Tenue, fatentur, munus, & quod nullam par-  
tem sit gratia exsolvendæ, (Sublimitati quippe tuæ no-  
bilia debentur) in quo tamen sperant, Te facturum  
quod benigni creditores solent, ut hæc quasi particulâ  
soluti debiti tantisper sustenteris, dum meliore proven-  
tu fortem ipsam cum usuris dependant. Heliotropium  
secus facere non potest, quin ad Solem suum sese obver-  
tat: Ita Dignitatem D. Musæ nostræ suspiciunt devotè,  
colunt veneranter. A cujus Patrocinio & favore o-  
mninò expectant, ut hoc parvum Literarum munuscu-  
lum, quod benevolè à Te accipi comprecantur, si in  
publicum per se placere non possit, à Te placere inci-  
piat; Teque, quò porrò favere pergas, venerantur  
amicè.

Divinus favor, qui solus quamlibet pii voti avari-  
tiam explere novit, optata nostra fortunet, & ut hunc  
NATALEM, plurimosq; alios quam felicissimè agas,  
largiatur benignissimè. Vale feliciter, in omnibus flu-  
at fortuna supra vota perpetuò, Dab. in Electorali Dres-  
da die 18. Martii 1652.

GENE.

# GENERALIS DISPOSI- TIO

## Operis HOMERI.

**I**N Opere HOMERI habentur Poëmata AU-  
TORITATIS vel CERTÆ vel DUBIÆ,  
CERTÆ & vel MAJORA vel MINORA.  
MAJORA, ut ILIAS & ODYSSEA.

ILIAS h. e. Poëma de rebus ad Trojam,  
quæ anno mundi 2788. à Græcis ob raptum Helenæ in-  
censa & everfa est, gestis. In quâ describitur VIRTUTIS  
BELLICÆ EXEMPLAR *Libris XXIV. vers. 15720.*

Res breviter ita gesta est: *ALEXANDER Priami fi-  
lius, visenda Græcia desiderio captus, ut mores Græcorum co-  
gnosceret Spartam venit, ubi absente Menelao ab Helenâ uxore  
ejus hospitio exceptus ei persuadet, ut se sequeretur. At Me-  
nelaus reversus cum Agamemnone fratre magnas Græcorum  
coëgit copias, Helenam repetitum.*

Habetura. in *ILIADÉ* partim OCCASIO de bello Trojano,  
quod Chryses Apollinis sacerdos venerit, ad castra Græc.  
ut filiâ Chryseidē redimeret, sed repulsam passus & con-  
tumeliosè ab Agamemnone expulsus, precatus est Deum  
ut peste injuriam ulcisceretur. Sic ergò pestilentia ab  
Apolline immissa, & inter Achillem & Agamemno-  
nem magna altercatio est orta, *Lib. I. v. 625.*

*Ἀμφαλιτὰς Χρύσης· λοιμὸν στρατῷ ἔχθρος ἀνάκτων.*

*L. C. Dei ministri veneranter habendi.*

Et quod Juppiter, quum cæteri somno indulgerent  
Agamemnoni somnium immiserit, ut Græcos ad præ-  
lium educeret; quodq; Ulysses ( qui & Therfiten

A 3

inde-

indecorè aduersus regem tumultuantem compescit) & Nestor Græcos ad perseverandum in obsidione Trojæ ad expugnandam urbem sint adhortati. Ubi & est Catalogus navium & Ducum, quibus usi Græci & Trojani, *Lib. II. v. 879.*

Ἦντα δ' ὄνειρον ἔχε, ἀγορήν, καὶ νῆας ἀριθμᾶ.

*L. C. Dormientibus subditis Gubernatores pro publicâ salute excubare debent.*

*Partim TRACTATIO*, cuius vel *Initium*, quod Alexander provocasset Menelaum in Monomachian, ut de rerum summâ decerneretur, Ubi omnium induciis iuramenta facta sunt, ut qui vinceret Helenam acciperet, & opes ipsius, victusq; est Alexander. *Lib. III. v. 462.*

Γέμια δ' ἄρ' ἀμφ' ἑλένης οἷοις μὲν εἰσὶν ἀκοίτας.

*L. C. Humana consilia sapissime fiunt intervntu cuiusdam rei irrita.*

Et quod Alexandro victo secundum fœdera reposcerit Agamemnon Helenam & opes, & pœnas de injuriâ à Diis petierit; sed confusa sunt fœdera, & Agamemnon, vulnerato Menelao, exercitum hortatur ad bellum, congressuq; facto multi utrinq; trucidantur. *Lib. IV. v. 543.*

Δέλατε θεῶν ἀγορήν, ὄρκων χύσις, ἄριστος ἀρχὴ.

*L. C. Ubi Divina pœna, ibi omnia confusa.*

*Vel Progressus*, qui respicit vel *Græcos magis infeliciores* & *partim in Levioribus pugnis*, qui vel *Soli* & *tum de Diomede*, quod hic Minervâ auxiliante strenuè rem gesserit, multos Trojanos interfecerit, Venerem in manu & Martem in ventre vulnerârit, quem Pœon Deorum Medicus curavit, Æneam lapide à Diomede percussam Apollo conservat. *Lib. V. v. 908.*

Ei

Εἰ Βάλλη κυθέρηαν, ἀρῆα τε, τυδέος υἱός.

L. C. *Iusta causa Deum habet defensorem.*

Et quod Hector multis Trojanis interfectis in urbem venerit, Matrem Hecubam vota Minervæ facere jusserit, & magna munera polliceri, quò Diomedem à prælio averteret. Interim ipsis in campo existentibus Glaucus & Diomedes amicitiam paternam agnitam, arma inter se permutant. Hector autem Matri Hecubæ & Uxori Andromachæ loquutus cum fratre Alexandro in prælium egreditur. *Lib. VI. v. 594.*

Ζῆτα δ' ἄρ' Ἀνδρομάχης καὶ Ἐκτορος ἐς δαρυυῖς.

L. C. *In bello cultus divinus non negligendus.*

Tum de Hectore, quod provocarit fortissimum quemque Græcorum ad singulare certamen, & generosè pugnaverit, donec vespere facto, Præcones prælium diremerint. Cadavera postridiè sepeliunt, & Juppiter ipsis per noctem infausta futurorum signa ostendit. *Lib. VII.*

v. 472.

Ζητα δ' Ἄϊας πολέμιζέ μόνω μόνῳ Ἐκτορε δῖω.

L. C. *Portenta non sunt contemnenda.*

Et quod Juppiter interdixerit Diis neutri auxiliari exercituum. Ubi tamen Trojani vicerunt: Hector sub vesperam hortatus est in campo ut castra metarentur, & ignem per totam noctem accenderent. *Lib. VIII. v. 561.*

Θῆτα, θεῶν ἀγορή, τρώων κρείττῳ, Ἐκτορεῖ εὐχῶ.

L. C. *Dubiis Mars errat in armis.*

Vel Plures, ubi quod cum Agamemnon Græcis svaderet, ut fugerent, Diomedes & Nestor surrexerint, contrariam sententiam pronunciantes, & Nestoris svasu ad Achillem missi sint, sed frustra, Legati, *Lib. IX. v. 719.*

E. F. E.

ἄφρονα δ' Ἀχιλλῆος ἀπαθείης ἐστὶν ἰώτα.

*L.C. Non facile à pio proposito desistendum.*

Et quod Agamemnon vigilans, & cum Menelao consultans, speculatores in Trojanorum exercitum miserit Ulysssem & Diomedem, qui Dolonem obviam facti interfecerunt, & Rhesium Regem, ejusq; sociorum quosdam conficientes & eqvos abducentes, Thraces adesse retulerunt. *Lib. X. v. 680.*

Καὶ πρὸς κεφαλὴν ἔλε Τυδείης υἱός.

*L.C. Strategemata sunt licita.*

*Partim in GRAVIORIBUS.* Ubi de pugna vel **INSTI-  
TUTA**, quod Agamemnon ad prælium eduxerit Græcos, vulnerati tamen sint Græcorum præstantissimi, Agamemnon à Coone, Ulysses à Soco, Diomedes, Eurypylus, & Machaon ab Alexandro sagittâ, &c. Achilles persuadetur, ut opem ferat Græcis, *Lib. XI. v. 842.*

Λάμβδα δ' ἐνὶ προμάχοισι μίγν βασιλεὺς Ἀγαμέμνον.

*L.C. Sociorum auxilia contemnenda.*

Et quod Trojani ab eqvis descendentes, & infausta ipsi visa ave, in quinque ordines divisi munitiones Græcorum adorti destruxerint, & Hector effractis portis naves conscenderit, & cæteri cum eo Trojani, *Lib. XII. v. 471.*

Μὴ δὲ μάχη πρὸς τὰ χεῖρα, ὅδ' ἐκδορε φαίδιμος Ἔκτωρ.

*L.C. Auguria & prodigia sæpè & hostibus mala por-  
tendunt.*

Vel de **RESTITUTA**. Ubi quod Græci denuò, ad bellum excitati, Neptuno auxiliante vires quodammodo recollegerint, sed ab Hectore magna strages edita. *Lib. XIII. v. 837.*

NÜ



Νῦν δὲ πρὸς δ' ἄων Δαναοῖς κράτ' ὅπασε λάθρῃ  
*L.C. In bello subinde novi motus.*

Et quod Agamemnon secum vulneratos, & cum ipsis Nestorem assumpserit; Juno Jovem deceperit; Neptunus Græcis suppetias tulerit: Hector ab Ajace percussus fuerit, cædesq; magna facta. *Lib. XIV. v. 422.*

Ξι, κρονίδ' ἰν' ἀχεύουσι καὶ ἔσσω ἢ παφεν ἄρη.

*L.C. Fraus Mulierum magna.*

Vel respicit Trojanos magis infeliciores, de quorum vel Præliis vel Sepulturis.

PRÆLIIS, & vel in UNIVERSUM, quod quidem Trojanani victi vires recollegerint, Græcos ad naves usq; pulsos in fugam verterint, sed Ajax Telamonius multos navibus ignem inferentes interfecerit. *Lib. XV. v. 198.*

Οὐ κρονίδ' ἤσ κε χόλωτο πρὸς δ' ἄων καὶ ἄρη.

*L.C. Nec fuga semper turpis.*

Vel SEORSIM, Viribus adhuc vel CONJUNCTIS. Ubi tum de PATROCLO. Et vel VIVENTE. Quod Patroclus Arma Achillis sumpserit, Trojanos in fugam verterit, sed ab Hectore sit interemptus, percussus prius ab Euphorbo, *Lib. XVI. v. 766.*

Γι' ἀτρόκλου ἔπαφεν ἀρήιον; ἔκλυ' αἰχμή.

*L.C. Audacia raro felix.*

Vel OCCISO. quod de Patrocli corpore magna commissa sit pugna, in quâ Euphorbus occisus à Menelao, Hector autem Achillis indutus armis Græcis fortiter restiterit, quodq; Antilochus missus sit ad Achillem Patrocli mortem nunciaturus. *Lib. XVII. v. 873.*

Ἔω, Δαναοὶ τρώες τε νίκυν πῆρι χῆρας ἔμισγον.

*L.C. Occisi in bello honestè sunt sepeliendi.*

B

Et

Et quod Achilles Patrocli mortem resciscens iuxerit, Trojanos suo conspectu coërcuerit, Vulcanusq; illi armaturam præparaverit. *lib. XVIII. v. 616.*

Σίγμα, ἄετις Ἀχιλλῆι παρ' ἠφάεσθ φέρειν ὅπλα.

L. C. *Prælia & occasiones præliorum quandoq; differenda, donec necessaria adsint.*

Tum de ACHILLE. Quod dona promissa ab Agamemnone acceperit, & exercitum ad prælium eduxerit. *lib. XIX. v. 425.*

ταῦ δ' ἀπέληγε χόλοιο καὶ ἐκδοσε δῖος Ἀχιλλεύς.

L. C. *Dona placant homines & Deum.*

Et quod omnes Dii descenderint auxiliaturi: Græcis quidem Juno, Minerva, Neptunus, Vulcanus & Mercurius. Trojanis autem Venus, Apollo, Diana, Latona, Mars & Scamander, ita tamen ut Græci vicerint per Achillem. *lib. XX. v. 504.*

Ἵμακάρων ἐρις ὤρετο, φέρει δ' ἐπὶ κάρτος Ἀχαιοῖς.

L. C. *Justitia causa vincit.*

Vel DIVISIS. Quod Trojani exercitum in duas partes diviserint, quas Achilles persecutus, sed cum periculo vitæ propter fluvium Scamandrum inundantem, *lib. XXI. v. 612.*

Φῖ, μόγος Αἰακίδαο παρ' ἠϊόνας ποταμοῖο.

L. C. *Vires divise minores.*

Et quod Trojanis intra mœnia inclusis, solus Hector Achillem expectans, & cum eo congressus, occisus, & currui Achillis alligatus ad stationes navium tractus fuerit cum magno luctu Trojanorum in Urbe id videntium. *lib. XXII. v. 515.*

χι, δ' ἄρα τῆς περὶ τείχος ἄγων κτάνει ἕκτορ Ἀχιλλεύς.

L. C. *Tandem Victores etiam occiduntur.*

Sc-

Sequitur de SEPULTURIS. *Quod Achilles iusta ex-  
sequiarum exhibuerit Patroclo, contumeliosè propter  
ipsum duodecim mactatis Adolescentibus, quodq; cer-  
tamen funebre sit institutum, in quo equis vicit Diome-  
des, cursu Ulysses, alii aliter. lib. XXIII. v. 898.*

*Ἴ, Δαναοῖσιν ἀγῶνα δίδουσι ἐτέλεσεν Αχιλλεύς.*

*L. C. Funera splendida magnis sunt constituenda.*

*Et quod Hectoris corpus à Priamo reportatum sit in  
urbem Trojam sepultum, redemptionis præmio Achil-  
li exsoluto, quodq; super ipso epulum constitutum. lib.  
XXIV. v. 805.*

*Ω, πρίαμος νέκυν ἕϊα λαβῶν, γέρα δῶκεν Αχιλλῆϊ.*

*L. C. Magnorum Virorum corpora sunt redimenda, &  
bonestè sepelienda.*

---

**S**equitur ODYSSEA five ULYSSEA h. e. Poëma  
de Ulyssis peregrinationibus & rebus, quas in  
iis gesit.

In qua proponitur *Prudentiæ Politica Exemplum*,  
*Libris XVII vers. 12103.* In Ulyssè enim Homerus vi-  
rum nobis depingit, qualem eum esse oportet, qui pru-  
denter transigere vitam exoptat: Hoc enim innuunt il-  
la Epitheta: *ποικιλόμυς, πολύτροπος, κτηδέαλεόςφρων,* &  
cætera hujusmodi.

Res breviter ita gesta est: *Diversabatur Ulysses apud  
Calypso, unde consilio Deorum in patriam dimitti à Deâ ju-  
betur Mercurio nunciantè. (Interea Telemachus ad Nesto-  
rem & Menelaum, ut aliquid de Patre expiscaretur, profici-  
scitur) Dimittitur, dum navigat à Neptuno observatur, qui  
tempestate immisâ naufragium eum facere coëgit. Excipitur*

tandem à Leucotheâ, à quâ arrepto natandi adminiculo ad Phœacum terram pervenit. Ubi nudus per noctem integram delituit. Posteriâ die Nausicaa Alcioni Phœacum Regis filia, Minervâ negotium ita disponente, ad flumen accedit. Ubi Ulysses ab eâ excipitur, atq; in urbem deducitur. Ibi Alcinous hospitio eum excipit, tum in convivio errorum suorum ordine narrationem prosequitur, inde omni genere humanitatis ab Alcino, aliisque proceribus cohonestatus, comites & navem ad reditum in Ithacam accipit, ubi somno sospitus deponitur. Excitatus à Minervâ, quid facti opus sit monetur: ad tugurium subulci pervenit, & ignotus apud eum diversatus est, se Ulysses esse dissimulans. Interea redit Telemachus & subulcum accedens, post sermones ultra citroq; habitos, Telemachus subulcum in urbem ad Penelopen, ut eam de suo reditu commonefaceret, ablegat. Eo profecto prodit se Telemacho Ulysses. De interimendis Procis consilium capiunt, & illud postmodum feliciter exsequuntur. Interemptis Procis fit in Ulysses ab Ithacensibus tumultus, manu coactâ in eum, quâ iam in agro apud Laërtem Patrem, ad quem clam erat post illam cædem profectus versabatur, irruunt. Pugna commissa paucos Ithacenses desiderant. Bellum tandem Jovis fulmine potissimum dirimitur, suoq; Regno, pacto cum civibus federe, Ulysses, Minervæ beneficio, restituitur.

Habetur itaq; in *Odyssæa peregrinationum* vel **OC-CASIO**, quod Dii concilium habuerint de Ulysses in Ithacam mittendo à Calypsus Insulâ; quodq; Pallas adhortata sit Telemachum ut proficisceretur patrem inquisitum. *Lib. I. v. 434.*

Ἄλφα, θεῶν ἀγορὴ, Ὀδυσσεὺς παλλὰς δάσσο.

L. C. Dii curam gerunt rerum humanarum.

Vel

Vel PROGRESSIO *partim* de Telemacho patrem in-  
quisituro, abeunte, ubi, quæ facta ante ITER SUSCE-  
PTUM, quod Telemachus denunciavit proci, ut exe-  
ant e domo Ulyssis, & acceptis ab Eurycleâ nutrice ad  
peregrinationem necessariis, sole occidente ad naviga-  
tionem profectus sit. *Lib. II. v. 534.*

ἄλλοτε ἔχοντες ἡμῶν γένος, πλεον μετ' Ἀθάνας.

L.C. *Parentes charissimos habere debemus, quod ab  
bis vita, patrimonium, libertas, civitas tradita est.* Cic. in  
Orat. post redit. ad Senatum.

In ITINERE. Et vel apud NESTOREM, ubi quod hic  
Telemachus hospitio exceperit, illiq; enarraverit quæ  
Græcis acciderint, & ex Troja navigationem, quodq; Te-  
lemachus curram nactus Pisistrato Nestoris filio comite,  
in Spartam discesserit. *Lib. III. v. 497.*

Γάμμι, ἔπειτα Νέστωρ δ' ἐκεί, σιωπῶντο δ' ὅς υἱί, θεὰ δ' ἐπὶ

L.C. *Ut quisq; est optimus, ita maximè studet alios be-  
neficiis sibi devincire.*

Vel apud MENELAUM, & quod hic Telemachus  
cum Pisistrato hospitio exceperit, de reditu Græcorum  
narraverit, per quod cognovit Ulysses patrem apud  
Calypso esse, ubi & de consilio Procorum de Telemacho  
occidendo. *lib. IV. v. 847.*

δέλτα, μὰ δ' ἀμφὶ πατρὸς παρ' Ἀτρέϊδα λοχῶμεν ὅτι υἱός.

L.C. *Generosi animi & magnifici est juvare & prodes-  
se.* Sen. lib. 3. de benef.

Vel quod Juppiter Mercurium miserit ad Calypso  
jubens dimittere Ulysses, quæ agrè iussa facit, quod-  
que naufragium passus Ulysses in Phæacum Regionem  
salvus pervenerit. *Lib. V. v. 494.*

Ε, πλῆ ἐπὶ χερσίν Ὀδυσσεύς κεδάσης πόντων.

L. C. *Dei ope omnia fiunt.*

Partim de *ULYSSE*, & *vel magis infeliciose*, ut qui profectus ex *Calypsus* insulâ multa passus, *vel MARI*, dum navi fractâ in *Phæacum* Regionem venit nudus, ubi: quod *Nausicaa* Regis *Alcinoi* filia cum *Ancillis* ad flumen vestes lavans & ludens *Ulysses* ex arbusco excitavit, vestes & cibum dederit. *Lib. VI. v. 330.*

Ζητῆς ἡ Νηυσικήα κόμισ' ἢ χερσὶν Ὀδυσῆα.

L. C. *Is amicus est, qui in re dubiâ rejuvat, ubi re opus est.* *Plautus* in *Epid.*

Vel *TERRA*. Ubi *Ulysses* *vel excipitur*, tum ab *ALCINOO* Solo, ubi quod *Aretæ* *Alcinoi* Regis uxori supplex factus sit, quaerenti unde vestimenta haberet, (cognoverat enim ea) quodq; *Alcinous* ipsum clementer exceperit, & ille suos casus, qui acciderint illi in navigatione ab *Ogygia* usq; ad *Phæacum* terram Reginae narraverit. *Lib. VII. v. 347.*

Ἡτὰ δ' ἐνφρονέεισ' Ὀδυσσεὶ χερσὶν Βασιλῆες.

L. C. *Amicorum ope indigemus.*

Tum à *CIVIBUS*. ubi quod congregatione institutâ, *Alcinous* *Phæacum* primates convivio exceperit, quodque *Phæaces* & *Ulysses* disco certarint, *Ulysses*q; *Demodoco*, quæ circa introductionem lignei equi acciderant, canente, fleverit, atq; inde interrogatus fuerit, quis & unde sit? *Lib. VIII. v. 597.*

Θῆτα δ' ἄθλοις φαίμενσ' Ὀδυσσεὶ πύργων.

L. C. *Calamitas sæpè fortuna Occasio.*

Vel casus & labores suos commemorat, quos sustinuit iterum *vel TERRA*, ubi, quod cura *Ciconibus* bellavit, ad

ad

ad Lotophagos appulerit, & ad Cyclopem Polyphemum  
venerit, eumq; postquam sex jam socios comedisset, ex-  
cæcaverit. *Lib. IX. v. 576.*

ἰὼπτε, λωτοφάγων κικόφων σιω κύκλωψ ἐσίη.  
L. C. *Facilis victoria de madidis atq; mero titubanti-  
bus.* Juv. Sat. 15. v. 47.

Et quod ad Æolum pervenerit, qui Ulyssi secundum  
ventum Zephyrum dederit, aliis ventis in utre inclusis,  
quem socii, dormiente Ulysse in eo aurum esse rati, sol-  
vissent. Quodq; redierint ad Æolum, & Ulysses ab Æo-  
lo non receptus ad Læstrigonas pervenerit, ibiq; unde-  
cim navibus amissis in Insulam Æxam profectus, cum  
Eurylocho socios emiserit, interrogaturos, quinam ef-  
sent incolæ? Transmutatis autem illis in sues à Circe,  
præter Eurylochum, ipse ad inquisitionem egressus ac-  
cepto à Mercurio Pharmaco Moly non læsus est. Sed  
& jam socii pristinam formam cum recepissent, & an-  
num desedisset apud Circen ad inferos descendit. *Lib. X.  
v. 659.*

Κάππα δ' ἔχ' Αἰόλα, λαισευγόνων, καὶ κίρκης ἔργα.

L. C. *Cautè agendum. Item: Homines omnibus fortu-  
na telis expositi sunt.*

Vel apud INFEROS. ubi quomodo ad Circes mandata ad  
inferos descenderit, & quo pacto audierit Tiresiam vatē  
de suâ & aliorum salute; & ut Heroas & Heroidas viderit  
ibi, & matrem, & eorum qui ad Ilium militârant non-  
nullos, & eorum qui apud inferos puniantur. *Lib. XI.  
v. 650.*

Ἄμβρα δ' ἐν αἰδέω τυχαῖς ἐνέτυχεν ὀδύσεύς.

L. C. *Vita humana miseris plena.*

Et

Et *quomodo* ab inferis ad Circen redierit, Sirenes præternavigaverit, & errantes petras Scyllam & Charybdin, et suæ navis & sociorum interitum, qui occiderant quosdam Solis boves, & *quomodo* solus in ligno ad Calypso servatus evaserit, *Lib. XII. v. 456.*

Μῦ σερήνας ἔχαπλαγκτάς τ', ἰδὲ βοῦς ἠελίῳ.

*L. C. Illecebrosæ voluptates blandis præstigiis homines irretiunt, qui præsentem vitam tanquam mare quoddam navigant, atq; hinc cerâ, h. e. virtute aures obturande.*

Hactenus de Ulyssæ magis infeliciore, sequitur de feliciore; & *vel Respectu Ulyssis, quomodo* nempe dormiens cum donis à Phæacibus in terram Ithacensium expositus fuerit, eumq; Minerva de occidendis prociis docuerit, & in senem transformârit, *lib. XIII. v. 339.*

Νῦν, ἰδοῦκίς ἐπέβη φαίικων πομπῆ Ὀδυσσεύς.

*L. C. Amicus in re dubiâ cernitur.*

Et *quomodo* ab Eumæo subulco ignotus hospitio in agro receptus fuerit, & varios cum eo sermones instituerit, *lib. XIV. v. 543.*

εἶ δ' Ὀδυσσεύς ξείνισεν ἔμμαϊος ἀγρῶ ὑφορβός.

*L. C. Hospites benevolè & honorificè tractandi.*

*Vel respectu Telemachi redeuntis, tum SOLIUS* ubi *quomodo* Telemachus donis à Menelao acceptis in Ithacam redierit, navim in urbem remisit, ipse verò ad Eumæum diverterit, *lib. XV. v. 561.*

οὐ ἐπέβη δ' ἰδοῦκίς Ὀδυσσεύδης ἐκ λακεδαιμόνος.

*L. C. Nihil homini amico oportuno est amicius.* Plaut. in Epid. & Bacchid.

Et *quomodo*, quum missus esset in urbem Eumæus, ut Domini adventum nunciaret, patrem agnoverit, *lib. XVI. v. 480.*



πῶ δ' ἄρα τηλέμαχος ἀναγνώριζει πατέρα δν.

L.C. *Multa prater spem eveniunt.*

*Tum cum PATRE ULYSSE.* Atq; iterum hi sunt vel SOLI, Et vel sine PROCIS, ubi de *Adventu Telemachi in urbem*, quomodo matri Penelopæ peregrinationis capita enarraverit: postea verò Ulysses ab Eumæo in Ithacam ductus ex agris, ad convivium Procorum ingressus à cane sit agnitus, *lib. XVII. v. 611.*

ῥῶ βάλες ἀιπόλε μνηστῆρ τε κύων ὄν ἀνέγνω.

L.C. *Dolis ac fraudibus omnia possunt perfici.*

*Et de Ulyssis & Iri pugnâ*, quem in certamine vincit & ob victoriam laudatus dona à procis accipit, *lib. XVIII. v. 427.*

Σίγμα, δ' ἔστιν ἴσθ, εὐχος ὀδυσσῆος, δῶρά τ' ἀνάκτων.

L.C. *Pauper pauperi invidet.* καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονεῖ.  
Hesiodus.

*Vel cum PROCIS.* Ubi quomodo Ulysses Telemachum arma depromere jusserit, & ad Penelopen ex Cretâ se esse finxerit. Fit autem ipsius per cicatricem agnitio ad Euricleam pedes ipsius lavantem. Et per digressionem Poëta narrat, quo pacto in Parnasso vulneratus fuerit ab apro, *lib. XIX. v. 519.*

ταῦ δ' ἀναγνώριζει ἐξ ἄλλης γῆνυς ὀδυσσῆα.

L.C. *Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile.*

Et quomodo Ulysses ancillas procis mixtas interficere voluerit, & mutatâ sententia cum Eumæo & Philætio collocutus fuerit. Ubi & Procorum collocutio, *lib. XX. v. 394.*

γ, βρονταῖς Ζεὺς θάρσεν ὀδυσσῆα καὶ σχεδ' ἀχαιῶς.

L.C. *Affectus obtemperent rationi.*

*Vel cum PENELOPE*, ubi tum CONFLICTUS, cujus OCCASIO, quod Penelope arcum tendenti sui conjugium

C

gium

gium pollicita fuerat. Ulysses Eumæo & Philatio custodia januæ mandat, & tendit arcum, Procis viribus arcui tendendo imparibus, *lib. XXI. v. 429.*

ἦ δὲ βίον προΐδκσιυ ἀεζλον πηνελοπέην.

*L. C. Ignavia corpus hebetat, labor firmat.*

Et *Perfectio* quod quum Procorum cædem peregisset Ulysses, exinde ancillas per Telemachum & familiares punierit cum Melantho, *lib. XXII. v. 501.*

χι Ὀδυσσεὺς μνηστῆρας ἐκάλυτο ἠλέει χαλκῶ.

*L. C. Nihil potest esse diuturnum cui non subest ratio: licet felicitas adspirare videatur.* Curt. lib. 4. cap. 34.

Tum ULYSSIS AGNITIO apud UXOREM, nunciante Euryclea; ubi erroris narrationum summa, & Ulyssis & Telemachi cum domesticis exitus, *lib. XXIII. v. 472.*

χι δὲ ἀναγνώριζει πόσιυ ὅν ποτε πηνελοπέην.

*L. C. Experis fortuna Sapientia.*

Et apud PATREM LAERTEM: ubi turbam Ithacensibus factam ob Procorum cædem, Minerva impedit *lib. XXIV. v. 547.*

ῶ δὲ Ὀδυσσεὺς σὺν πατρὶ καὶ ἑεὶ μάχετ' ἀχαιοῖς.

*L. C. Tandem bona causa triumphat.*

Ita fuerunt Poëmata Homeri MAJORA, sequuntur MINORA, ut BATRACHOMYOMACHIA, h. e. *Ranarum & Murium pugna* vers. 310. de quo tamen Poëmatio an Homericum sit dubitatur.

Res breviter ita gesta est: Mus à ranâ conspectus rogatur de familiâ, quâ quum magnificè esseret is, persuadetur à ranâ, ut tergo ipsius insidens per lacum trajiciat, quum autem à littore longius profecti ambo, hydrium conspexissent, rana mure relicto in aquis se occultat, mus verò miserè suffocatur. Hujus interitu injuriam sibi factam esse

esse

esse existimans murium genus, bellum ranis indicit, ex quo statim arma utring<sup>3</sup> sumuntur, & praelium cruentum committitur, in quo Victores quidem mures evadunt, sed ne prorsus occumbant rana, Juppiter fulmine, & cancris emissis in murium exercitum, certamen dirimit. (Mus Psicharpax genus & statum suum, magnificè jactans, imago est hominis gloriosi, se & sua inconsideratè efferentis, unde sibi suisq<sup>3</sup> exitium parit. Rana Physignatus persuadens muri, ut secum traiciat lacum, imago est hominis inflati & tumidi, qui doctis dolis & facietis fabricis parùm circumspectos circumvenit & perdit. Nam susceptum tergo suo murem in mediis aquis deserit, & sibi consulit, accusatus culpam in muris inscitiam transfert.)

Sunt autem in Batrachomyomachiâ quædam COMMUNIA, quæ consistunt in *Exordio* quod habet Musarum *Invocationem* ut sint carminis describendi duces vers. 1. Vel *PROPRIA* & tum *PROPOSITIO*, quod Poëta velit bellum Ranarum & Murium describere, v. 4. tum *NARRATIO*, quæ duas continet partes, vel *CAUSAM*. quæ duplex *Occasio belli*, interitus videlicet Muris Psicharpaxis in aquâ, v. 79. & *vindicta cupiditas* in muribus, v. 104. Vel *EVENTUM*, qui complectitur vel ipsum *PRÆLIUM* sive conflictum, v. 206. vel *FINEM*, quod nempe genus ranarum à muribus esset extinctum, nisi Dei providentiâ bellum interceptum esset, v. 296.

L. C. 1. Pleraq<sup>3</sup> contentiones ex levibus plerumq<sup>3</sup> causis orta, in magnum sepe erumpunt incendium. 2. Deus, qui quæ nos gerimus auditq<sup>3</sup> & videt, seditio num autores pacisq<sup>3</sup> turbatores solet severissimè punire. Nam quod tandem Rana vincant auxilio Divino, eo significatur in caput plerumq<sup>3</sup> autorum seditio nis verti periculum, quod aliis moliebantur.

Se-

Sequuntur quæ DUBIÆ AUTORITATIS. Et hæc iterum vel sunt PROLIXIORA, ut Hymni tres priores, qui *vel in Deos*, quorum primus in Apollinem, v. 546. secundus in Mercurium, v. 577. *vel in Deas*, tertius in Venerem, v. 294.

Vel sunt BREVIORA, & vel *ad Deos*, ut viginti novem hymni intermedii, v. 396. *vel ad ALIOS*, ut XVI. Hymni posteriores, v. 103.

N O T A.

In Homero & quædam VERBA, & quædam RES non reperiuntur.

VERBA, ut: τύχη *fortuna*, ὄργη *ira*, πλοῖον *navigium* τυραννὶς *tyrannus*, νόμος *lex*, δακτύλιον *annulus*, ἀλεκτρυών *gallus, gallina*. Eustath. 1182. Macrobius l. 5. Satur. c. 16. Porphyrius quæst. 15. Eustathius in Odyss. m. in fin. Scholiast. Sophocl. in Oed. Tyran. Plutarch. de Homero. Plin. Et si τύχης vocabulum in Hymnis Cereris reperiri monuit Pausanias in Arcad.

RES, ut: *Carnes elixæ nusquam Heroibus apponuntur, ut nec pisces nec condimenta*. Plato 3. de Republ. Athenæus lib. 4. & Porphyr. in lib. de Abstin. *Annulorum usus* Plin. *Fontes calidi*. Plin. *Sellarum curulium usus*. *Testamentorum usus*. *Elephantorum mentio*. Pausan. in Attic. Spondanus.

Finis Analyseos Operum, *Iliados* & *Odyssæ*, quorum utrumq; vicenis quaternis Libris, quot literæ apud Græcos sunt, constat. Quem utriusq; operis numerum, quadraginta octo conficientem, prima Syllaba dictionis μῆνιν, à quâ *Ilias* incipit, indicare videtur.



Coll. diss. A. 12, misc. 31